Relatio

de Statu Congregationis a Resurrectione D. N. J. Chr.

an. 1887.

Relatio
ad Sacram Congregationem Episcoporum et Regularium de statu Congregationis a Resurrectione D. N. Jesu Christi.
Anno MDCCCLXXXVI.

Quum post obitum R.di P.is Petri Semenenko in Capitulo generali hujus Congregationis ~~et~~ a Resurrectione D. N. Jesu Christi, nuper habito, ad Praepositi Generalis munus, licet indignus, electus atque a Sanctissimo Domino Nostro Leone Papa XIII, feliciter regnante, in hoc munere confirmatus essem, primum negotium meum esse duxi, relationem de statu Congregationis nostrae huic Sacrae Congregationi Episcoporum et Regularium exhibere, ulterioremque approbationem ac confirmationem Congregationis Nostrae ~~ac~~ Ejusque Regulae ac Constitutionum a Sancta Sede impetrare. Quare una cum supplici libello, Sanctissimo Domino Nostro dando, litterisque commendatitiis Ordinariorum earum dioecesium in quibus Patres nostri labores suos exercent, hanc etiam brevem relationem de ~~praesenti~~ actuali Congregationis nostrae statu Sacrae Congregationi Episcoporum ac Regularium praesentare mihi permitto, quibus specimen Regulae ac Constitutionis generalis adjungo.

Jam ~~vero~~ ut a numero fratrum, quibus Congregatio constat, initium sumam, hoc

Numerus Fratrum.

tempore centum viginti quatuor sodales ad Congregationem pertinent, quorum quadraginta quinque sunt sacerdotes professi, viginti clerici admissi (ad prima vota), duodeviginti fratres laici professi, viginti tres fratres laici admissi, undecim novitii Clerici, septem novitii laici, quorum omnium elenchum in fine adjungo.

Qui fratrum numerus inter quatuor Domos provinciales divisus est, atque in decem Dioecesibus labores suos exercet:

Domorum divisio

In Urbe

I° In Urbe Roma est Domus principalis, in qua Praepositus Generalis una cum Consilio suo ex officio residet. Cum hac domo Romana conjuncti sunt Novitiatus atque Alumnatus Congregationis.

Ab eadem pendent immediate:

1° Collegium Polonorum, 2° Collegium Graecorum ac Ruthenorum, utrumque in Urbe, 3° Missio vel Rectoratus Sanctae Mariae in Vulturella (vulgo Mentorella) in Dioecesi Tiburtina 4° Missio pro Polonis apud Ecclesiam de Assumptione dictam in Archidioecesi ac civitate Parisiensi.

In Polonia

II In Polonia (austriaca) est

1° Domus Novitiatus cum Ecclesia in Dioecesi ac civitate Cracoviensi; 2° Collegium Sancti Josaphati pro juvenibus Rutheni ritus in Archidioecesi ac civitate Leopolitana, quocum connexa sunt duo oratoria alterum privatum pro ritu Rutheno, publicum alterum pro ritu Latino.

In Bulgaria.

III *In Bulgaria*, in civitate Hadrianopolitana est *Gymnasium S.S. Cyrilli ac Methodii*, quocum conjuncta est *Ecclesia parochialis Bulgara*, *Sto Josaphato sacra*, cum altera *Ecclesia parochiali Sti Demetrii*.

2 Seminarium.

3 Praeterea Patres curam habent parochialis *Ecclesiae in loco Malko-Tirnova* ad pedes montium Balkan.

Haec autem missio quum Patres habeat pro utroque ritu, qua talis jurisdictioni subest Reverendissimi atque Ill.mi Vicarii Aplci Constantinopolitani, dum R.mus Episcopus Bulgarus jurisdictionem exercet quoad administrationem tantum Sacramentorum in ritu graeco-bulgaro.

Adnotatio de ritu orientali.

(Notandum hic est, in hac Congregatione a Resurrectione D. N. Jesu Christi utrumque ritum et Latinum et Graecum inveniri. Et ratio hujus instituti haec est, quod Sanctissimus Dominus felicis memoriae Pius Papa IX qui missionem Bulgaram Congregationi nostrae commisit, conditionem imposuit, ut aliqui ex missionariis nostris ad ritum illius nationis transirent, quo facilius populum istum ad Ecclesiae unitatem fideique rectitudinem converterent. Quod Sanctissimi Pontificis mandatum sapientissimum fuisse neminem latere potest, qui rerum orientalium aliquem habet notitiam. Nullo enim alio modo populi isti a schismatis erroribus

ad catholicae fidei veritatem atque Ecclesiae unitatem perduci possunt nisi per missionarios ejusdem ritus. Quod quidem jam saeculo decimo sexto Thomas a Jesu, unus ex Carmelitis discalceatis in suo tractatu de unione Schismaticorum cum Ecclesia catholica procuranda praeclare exposuit, dicens inter alia: „Unicum, ni fallor, remedium ad impedimenta conversionis eorum tollenda esset, si una vel altera vel plures haberentur religiones observantes, quae ex indulto Sedis Apostolicae, possent ritu eorum celebrare.... Tales enim Religiosi eorum ceremonias ac ritum non deprimerent, sed potius verbo et opere tanquam proprium extollerent... reciperentur quasi proprii, auscultarentur absque suspicione. Multa alia bona sequerentur quae brevitatis causa omitto." (apud Migne, Theol. curs. compl. T. V. pag. 464. Quorum veritatem Sanctissimus Pontifex Pius IX ~~mente~~ animo optime perspexit, nosque in laboribus nostris quotidie experimur.)

IV In America septentrionali est: — In America Canada.

1° missio Canadensis in Dioecesi Hamiltonensi cum Collegio Sancti Hieronymi Berolini in Comitatu Waterloo ac ~~et~~ duobus Rectoratibus sive parochiis nec non quatuor Ecclesiis, i.e. Ecclesia B.V. Mariae Dolorosae Berolini, Ecclesia Stae Agathae in loco ejusdem nominis, Ecclesia Sti Clementis in oppido Preston, Ecclesia Stae Familiae in oppido Hamburg.

2° Missio Americana (proprie dicta, in Statibus Foederatis) cum

In Statibus Foederatis Septentrionalib.

a) Collegio Stae Mariae in Dioecesi Ludovicopolitana,

b) Duobus parochiis atque Ecclesiis Sti Stanislai Kostkae ac Sti Josaphati in Archidioecesi et civitate Chicagoviensi;

c) Missione atque Ecclesia Stae Hedwigis in Texana dioecesi Sti Antonii.

Juxta duplicem finem quem Congregatio sibi proposuit quique in eo consistit ut Regnum Dei non solum ope vitae regularis intra se constituat sed illud etiam in mundo promoveat ope vitae apostolicae, Patres Regulae praescriptis inhaerentes, diversis ministeriis apostolicis operam dederunt, ~~inter quae~~ in quibus etiam scripta, ad fidem catholicam ac pietatem promovendam, in lucem edita, non parvi aestimanda sunt. Etenim variis linguis, Latina, Gallica, Germanica, Bulgarica, Polonica Patres Congregationis jam prope centum conscripserunt libros vel etiam vernaculo reddiderunt idiomate, et quidem libros theologicos, philosophicos, apologeticos, catecheticos, historicos, asceticos, lithurgicos imo etiam poëticos. Scripserunt autem:

Scripta Patrum

1° Rmus P. Petrus Semenenko S. Theol. Dr. Consultor Sacr. Congregationis Indicis et Sacr. Romanae et univers. Inquisitionis, cujus scripta ferme haec sunt:

P. Semenenko

„ Towianski et sa doctrine"

„ Veritas circa Ecclesiam Dei et Ecclesiam Russiacam"

„ Dissertationes contra magiam et falsam philosophiam.

„Decem sermones de Oratione Dominica."

„Sermones pro toto anno"

„Quid est Papa?"

„Dialogi de Philosophia Platonis"

„Tractatus de Averoë et Averoismo contra Ernestum Renan."

„Tractatus de Magnetismo"

„Series Sermonum sub titulo „Credo""

„Panegyricus de SS. Cyrillo et Methodio"

„San Pietro autore della civiltà, discorso accademico;"

Praeterea multa scripsit tum philosophica tum theologica atque ascetica quae nondum prelo subjecta sunt. Ejus autem scripta ascetica quae compluribus locis sparsa sunt, si colligerentur, jam plurimos tomos constituerent.

Quod autem idem Pater multa scripsit pro S. Congregatione Indicis etc praesertim pro S. Officio satis erit solum indicasse.

2.° R^mus P. Hieronymus Kajsiewicz scripsit:

<u>P. Kajsiewicz</u>

„Meditationes de Passione D. N. J. Christi"

„Tractatus de Matrimonio ac praesertim contra divortium."

„Vitam B. Andreae Bobolae (tribus linguis, Polonica, Gallica, Germanica)

„Vitam B. Josaphati"

„Concionum tria volumina"

„Collectanea in tribus voluminibus"

„Dissertationes de rebus ecclesiasticis"

et plura alia in ephemeride polonica „Przegląd."

3° R.^{mus} P. Josephus Hube scripsit: — P. Hube.

„Libellum de frequenti Communione"

„ „ de humilitate."

„ „ de via quae ducit ad Deum"

„ Vitam S.^{ae} Veronicae (juxta text. ital.)

„ Opusculum de educatione" scriptum a SS. D. N. Papa Leone XIII tempore Episcopatus ejus Perugiae, polonica lingua reddidit, item „Brevem Dialogum S. Catharinae Senensis de perfectione."

4° Rev. P. Alexandri Jelowicki scripta haec sunt: — P. Jelowicki

„ Catechismus Romanus" (lingua Polonica jussu SS. D. Gregorii P. XVI.)

„ Expositio doctrinae christianae"

„ Adhortatio ad vitam christianam."

„ Liber precum"

„ Thesaurus precum cum Indulgentiis."

„ Corona Passionis dominicae"

„ De Imitatione J. Christi"

„ Combattimento spirituale (Polonice)

„ Introductio ad vitam devotam."

„ Catechismus historiae sacrae"

„ Exercitia spiritualia S^{ti} Ignatii (juxta Bellecium).

„ Vita Jesu Christi atque Actus Apostolorum (juxta De Ligny).

„ Annus Jesu Christi (juxta Avancinum)

„ Mensis Mariae (pluribus linguis edidit.)

„ Collectio concionum ac sermonum funebrium"

„ Instructio de Matrimonio"
„ Panegyrici de Omnibus Sanctis Poloniae Patronis."
Variae publicationes minoris molis. Quae omnia tam rapide divulgabantur ut plures ea reimprimere necesse esset, quorumdam eorum decem et etiam viginti millia imo unius devotionis libri plus quam quinquaginta millia exemplarium vendita sunt brevi tempore.

5º R^dus P. Thomas Brzeska scripsit. — P. Brzeska
„ Catechismum Catholicum pro scholis superioribus"
„ Catechismum parvum pro scholis elementaribus" utrumque lingua Bulgarica.
„ Aphorismata paedagogica" (auctore Kellner, e Germanico idiomate in Bulgaricum vertit."

6us Rdus. Eugenius Funken scripsit. — P. Eugenius Funken
„ Poemata" vol I
„ Immanuel", (poemata eucharistica) et Varia parvula dramata pro scholis.

7us Rev. P. Stephanus Pawlicki, — P. Pawlicki.
qui aliquando Collegio Pontificio Polonorum in Urbe praefuit, nunc autem de licentia Superiorum in Universitate Cracoviensi Cathedram philosophicam occupat, scripsit varia opera philosophica, polemica, apologetica, tum Latina, tum Polonica, tum Italica, tum Germanica lingua, inter quae eminet illud:
„ De Origine Christianismi" quod

maxime constat e dissertationibus anno 1882 Romae in Palatio Sinibaldi, auspice Accademia Religionis Catholicae recitatis, ac pro Italis primum in ephemeride „La Rassegna Italiana" pro Polonis vero in ephemeride „Przegląd Polski" publicatis, quas auctor postea uno libro concinnavit ac tum Germanica tum polonica lingua edidit.

8º Rev. P. Valerianus Kalinka scripsit: — P. Kalinka

„Historiam de Regno Polono tempore Stanislai Augusti" 4 volumina.

„Vitam S^ti^ Stanislai"

„Conciones Vol. I"

„Vitam nobilissimi viri Generalis Chłapowski."

Varias dissertationes de educatione tractantes.

9º Rev^mus^ P. Valerianus Przewlocki, nuper electus Praepositus Generalis Congregationis, polonice reddidit libellum „Mirabilia" Joannis Rusbrock, variasque dissertationes de educationes tractantes scripsit. — P. Przewlocki

10us Rev. P. Paulus Smolikowski scripsit: — P. Smolikowski

„Litteras de Missione Bulgarica" et nonnullas dissertationes

„De educatione juventutis" nec non

„De Liturgia orientali."

Singuli porro Patres in variis ephemeridibus publicis ad veritatem catholicam demonstrandam vel defendendam variis

temporibus non pauca scripserunt, qua in re eminet Rev. P. Ludovicus Funken. Rector Collegii Sti Hieronymi in Canada occidentali. In Statibus autem foederatis Americae septentrionalis folium publicum singulis hebdomadis lingua Polonica, alterum autem lingua Anglica bis in mense procurantibus Patribus publicantur.

Collegia.

II° Ad juvenum tam clericorum quam laicorum institutionem Congregatio in diversis locis Collegia vel Seminaria habet.

Collegium Sti Hieronymi.

Primum hac in re tentamen fecit in missione a Sta Agatha nuncupata, in Comitatu Waterloo Canada Occidentali, ~~XX~~ R. P. Ludovicus Funken, anno 1864, fundatione Collegii Sti Hieronymi, quod anno 1866 Berolinum in eodem Comitatu translatum est. Licet ab initio parvum fuisset ac raro plus quam 40 alumnos habere solitum esset, e numero tamen eorum jam 40 sacerdotes ordinati sunt, quorum 12 Congregationi nostrae sese voverunt. Nunc autem numerus Alumnorum ad 70 jam accrevit.

Collegium Polonorum.

Collegium Pontificium Polonorum in Urbe, anno 1866 ex munificentia SS. D. Pii PP. IX conditum, munificentia autem SS. D. N. Leonis PP. XIII auctum, abstinentiae Patrum hujus Congregationis, propriae utilitatis immemorum multum debet.

Rev. enim P. Alexander Jelowicki summam 100,000 francorum, ad aedificandam Ecclesiam Congregationis in civitate Parisiensi collegerat, quam quum insufficiens ad hunc finem esset, de licentia Sanctissimi pro Collegio Polonorum in Urbe fundando obtulit; Rev. P. Kajsiewicz ad stipendia pro eodem Collegio colligenda satis arduum iter ad Americam tum septentrionalem, tum meridionalem instituit; Rev. tandem P. Petrus Semenenko a Summo Pontifice primus Collegii Rector nominatus, ejusque successores munus hoc usque adhuc gratis omnino subierunt. In hoc Collegio nunc 25 Alumni e variis Poloniae provinciis degunt, qui vel in Philosophiae vel in Theologiae vel in Juris canonici studium incumbunt.

Collegium Stae Mariae.

Anno 1870 Collegium Stae Mariae in Kentuky in Statibus Foederatis Americae Sept., quod primum a Sacerdotibus saecularibus, postea a Patribus e Societate Jesu dirigebatur, tempore autem belli civilis Americani derelictum ac jam fere dilapsum, ab Illmo ac R^{mo} Episcopo Ludovicopolitano Patribus Nostrae Congregationis oblatum, ab iisdem restauratum, ampliatum ac denuo apertum est. E numero Alumnorum qui Collegium hoc frequentabant quique generatim a 70 usque ad 100 ascendere solebant, plures sacerdotes saeculares facti sunt, duo autem Congregationem nostram ingressi sunt.

Anno 1869 Hadrianopoli, ubi jam inde ab anno 1864 scholas elementares habebant, Patres Gymnasium Sanctorum Cyrilli ac Methodii, ~~postea autem de licentia S. Congregationis de Propaganda Fide~~ die 23 ~~Februarii 1874 concessa, Seminarium etiam Clericorum~~ inceperunt. Numerus autem Alumnorum ~~utriusque~~ hujc Instituti variebatur inter 80 ad 100, qui omnes omnino gratis educabantur. ~~E~~ Jam plus quam 400 huijus instituti ~~Seminario jam nonnulli sacerdotes saeculares qui missionibus Bulgariis inserviunt, prodierunt, 6 autem~~ autem in nostram Congregationem admissi sunt, quorum 3 jam sacerdotes, 3 ~~autem~~ vero Alumni aut Novitii sunt.

Seminarium Sti Demetrii de licentia Sa Congr. de Prop. Fide die 23 Fe. 1874 concessa in Subservio

Collegium ac Gymnasium SS. Cyrilli et Methodii.

juvenum diversas, etiam majoris momenti ~~alicuju~~ magna cum laude positiones occupant tam in Bulgitum in T. valdeque perquisiti sunt —

hic erectum. Decem sacerdotes edidit qui missionibus Bulgariis inserviunt. 6

de licentia S. Cong. de Prop. F.

sub 23 Feb 1874 data erectum

~~et que~~ jam ~~nonnulli~~ sacerdotes

~~prodierunt~~ et ~~nonnullos~~ in nostram Congr. ~~fratres~~ quorum 3 jam sacerdotes

Anno 1881, Leopoli in Galizia (Polonia Austriaca) Collegium Sti Josaphat, pro juvenibus Ruthenis graeci ritus, Patres aperuerunt, quorum Alumni 55 numero sub directione Patrum gymnasium publicum frequentantes, ceterum domi gratis ~~pro~~ majori ex parte aluntur atque educantur. Hoc Collegium uberrimos jam fructus ferre videtur, quum juvenes, sive sacerdotes fiant sive alios status amplectantur, cum Ecclesia Romana ejusque usibus atque institutionibus familiariores fiant ac praejudicia nationis istius facilius deponant.

Collegium Sti Josaphat.

Anno tandem 1886 S.S. D. N. Leo PP. XIII Collegium Pontificium Graecorum ac Ruthenorum in Urbe Congregationi nostrae commisit, cujus

Collegium Graecorum ac Ruthenorum

Alumni numero 25 ad 40, sub directione Patrum viventes Collegium Urbanum de Propaganda fide studiorum causa frequentant.

Parochiae

III° Quum autem Congregatio parochiarum etiam curae operam dare statuerit, ubi hoc necessarium fuerit atque Episcopis Ordinariis ita placuerit, Patres in pluribus locis jam supra enumeratis munus hoc susceperunt. In quo munere, juxta Regulae nostrae praescripta ad id potissimum tendebant ut unaquaeque parochia ad modum christianae familiae formaretur, in qua inter pastores ac fideles verissima paterna ac filialis caritas mutuaque fiducia existeret. Operam porro dabant ut in singulis parochiis SS. Sacramentum ejusque cultus veluti centrum fieret totius vitae ac religionis; maxima cum diligentia ac cum visibili fructu spirituali homines ad frequentem sacramentorum usum exhortabantur. Promovebant sodalitates vel confraternitates tum pietati erga SS. Sacramentum fovendae, tum divino cultui decentius celebrando, tum etiam operibus caritatis ac misericordiae exercendis. Quum praecipuus B.ae M.ae Virginis cultus ad praescripta regulae nostrae pertineat, confraternitatem SS. Rosarii introduxerunt ac praeter festa de praecepto celebranda, omnibus B.ae M.ae Virginis festis missas solemnes cantare ad easque populum invitare solebant.

Decorem Domus Dei corde habentes, tum ut Domino N. J. Christo dignum praepararent habitaculum, tum ut homines magis magisque ad visitandas Ecclesias allicerent, omnibus viribus conabantur novas Ecclesias aedificare, vel veteres restaurare easque nitidioribus altaribus ceteraque supellectili ornare.

Quum autem scholae ab Ecclesiis separari non debeant, in omnibus parochiis scholas catholicas aedificabant, quas vel ludimagistris catholicis vel sororibus Congregationum regularium committebant.

Sorores.

Eximium Patrum nostrorum opus est fundatio Congregationis Sororum de Immaculata Conceptione, quae prius Romae sub Patrum directione formatae, jam nunc in Polonia Austriaca, plus centum numero, tribus in locis puellarum praesertim nobilium institutioni ~~inserviunt~~ deditae sunt.

~~Insuper~~ Alias etiam Monialium instituta regularia Patres dirigunt eorumque opera in parochiis ac missionibus ~~pro~~ suis utuntur. In America in diversis parochiis scholis praesunt sub directione Patrum tum Moniales S^tae Mariae dictae vulgo „de Notre Dame", tum Filiae Sacrae Familiae de Nazareth, in Bulgaria autem. Sorores Chan Sebes de Agra

Res familiaris.

Toto tempore ex quo Congregatio existere incepit usque ad hodiernam diem Providentia divina media necessaria nobis praestitit ad Congregationem sustentandam ac insuper ad opera misericordiae exercenda. Primi

Patres Congregationis licet memores verborum Dei „ Date et dabitur vobis " saepius liberaliores esse viderentur, nunquam tamen non sunt experti ~~sunt~~ veritatem hujus divinae promissionis. Quod nobis quoque ultimis hisce temporibus magnae consolationi fuit. Nam quum hospitium cum Ecclesia Sti Claudii, ubi hactenus quietum habuimus domicilium, anno 1886 a Guberniô Franciae venderetur, quod sane nobis satis inopinate accidit, necessitate coactus R^mus^ P. Petrus Semenenko tunc temporis Praepositus Generalis Congregationis aliam habitationem in Urbe quaerere debuit, quae tum Patribus ex officio hic residentibus, tum Alumnatui ac Novitiatui sufficiens esset, quod his temporibus difficillimum ac sumptuosum fuit, eo vel magis quod domus quae emenda Congregationi offerebatur quamque, quum situs ejus magis convenire videretur, pretio 340,000 libellarum obtinuit, multis reparationibus, renovationibus atque additionibus indigebat, ut omnibus necessitatibus Congregationis servire posset. Sed intercedente B^mo^ Josepho, Patrono ac Protectore nostro speciali, quem semper pro necessitatibus nostris temporalibus invocare solemus, cui etiam sacellum, quod novae domui adjunximus sacrum dedicavimus, Providentia divina, quam nunquam satis pro beneficiis nobis praestitis adorare ac laudare possumus, etiam in hisce angustiis nobis succurrit ita ut jam magnam (ex parte pretium hujus fundi, ~~quod~~ cujus valor nunc ~~ad 600~~ supra 600 m. Libellarum officialiter aestimatus est,) ~~debiti partem~~ ~~quod ad 600,~~ solvere potuerimus. Quare nec praesumptuosum videtur, si

Domus propria in Urbe.

dulci spe erigimur, fore ut, ~~reliqui~~ quod adhuc restat debiti, brevi tempore solvere ~~poti~~-possimus. Ceterum Congregatio quae Romae pro Alumnatu ac Noviciatu majora expensa habet reditibus vero certis ac stabilibus caret, alii (ut fundos at redditus suos habeat atque) loci ita constituta est (non solum ibi seipsam sustentare, sed etiam Domui principali Romanae inde subsidium dare possit.

Quae quum ita sint, Congregatio haec benevolo judicio S. Congregationis Episcoporum ac Regularium sese commendat speratque fore ut a S. Matre Ecclesia diu desideratam approbationem sui instituti Regulae ac Constitutionis obtineat.

Romae die 7 Mai 1887

Omnes domus seipsas sustentant ac Domui Romanae subsidium ferun[t]

Beatissime Pater,

Valerianus Przewlocki, Praepositus Generalis Congregationis a Resurrectione D. N. Jesu Christi, ad pedes Sanctitatis Tuae prostratus, pro approbatione ac confirmatione hujus Congregationis ejusque Regulae ac Constitutionis a Sanctitate Tua obtinenda, humiliter exponit:

Congregationem hanc sub titulo Resurrectionis D. N. Jesu Christi jam inde ab anno 1842 ab aliquot sacerdotibus Romae fundatam, brevi tempore in variis Europae atque Americae partibus propagatam, a Summo Pontifice Pio IX, attentis litteris commendatitiis Emi Cardinalis Urbis Vicarii, Emi Archiepiscopi Parisiensis, Episcopi Tiburtini atque Hamiltonensis in audientia die 14 Septembris 1860 laudatam ac commendatam fuisse, ubi etiam vota simplicia ab ejus alumnis emissa, rata habita fuisse atque indultum ut in posterum eadem vota simplicia paupertatis, castitatis, obedientiae, peracto novitiatus anno emitterentur.

Ista prima approbatione a Sancta Sede obtenta, Congregatio Deo adjuvante magis crevit ac Regulam Constitutionemque a nuper defuncto patre ac principali fundatore suo R.mo Petro Semenenko conscriptas secuta, experientia quadraginta quinque annorum, in quibus a primo fundationis suae fine nunquam recesserat, satis probasse videtur, institutionem suam ac fundationem juxta Regulam ac Constitutionem quas a fundatore suo praelaudato acceperat, quasque Sanctitati Tuae nunc approbandas humiliter praesentat, Dei Omnipotentis gloriae Sanctaeque Matris Ecclesiae utilitati inservire posse.

Finis autem qui in supradicta Regula et Constitutione Congregationi fuit praefixus, est: tum sanctificatio propria ac studium unionis amore perfecto cum Deo in statu religioso, tum etiam salus ac sanctificatio proximorum. Media vero quae ad hunc finem assequendum Congregatio assumit, sunt: tria vota paupertatis, castitatis, obedientiae ac vita communis et regularis sub obedientia Praepositi Generalis a Sancta Sede approbati aliorumque qui in diversis locis vices ejus agunt, deinde ministeria apostolica ut parochiarum cura, missiones, exercitia spiri-

Et respondere cupiens, Congregationem suprafatam, suam tum occidentalis tum orientalis ritus particulare studium sibi proponere pro convertendi populi slavonicae gentis qui ab Ecclesia separati sunt

praedicatio et scripta ad fidelium instructionem ac catholicae

tualia aliaque similia sub jurisdictione Ordinariorum, tum etiam juvenum tam clericorum quam laicorum institutio atque educatio, tum denique propagatio specialis cultus ac venerationis Beatae atque Immaculatae Virginis Matris Mariae, ac postremo singularis in omnibus pietas atque obedientia erga Sanctam Romanam Sedem ac Christi in terris Vicarium, cujus menti

Quem finem Congregatio a Resurrectione D. N. Jesu Christi supradictis mediis prosecuta, hodie adjuvante Domino ita jam profecit ut in diversis terrae regionibus quatuor habeat domos provinciales quarum varia opera in decem dioeces extenduntur. Et quidem

1° in Urbe Roma est domus principalis in qua Praepositus Generalis ex officio residet, habetque conjunctos sibi Novitiatum atque Alumnatum in quibus adolescentes Congregationis ad vitam religiosam atque apostolicam informantur, duo Pontificia Collegia: Polonorum unum, alterum Graecorum ac Ruthenorum, quae ab hac Sancta Sede sibi regenda tradita sunt; huic domui principali Romanae conjuncti etiam sunt atque immediate subjecti duo Rectoratus Ecclesiarum extra Urbem: unus Ecclesiae Sanctae Mariae de Vulturella (vulgo Mentorella) in dioecesi Tiburtina, alter Ecclesiae B. Mariae Virginis Assumptae in civitate ac dioecesi Parisiensi in Gallia.

2° In Polonia in civitate ac dioecesi Cracoviensi est domus Novitiatus Congregationis, in civitate autem et dioecesi Leopolitana Collegium sub titulo Sti Josaphati Martyris pro juvenibus Ruthenis orientalis ritus Sanctitate Tua consentiente atque approbante erectum, quod in dies magis crescit atque augetur.

3° in ~~Bulgaria~~ Turchia, in civitate Hadrianopolitana est Collegium SS. Cyrilli ac Methodii pro educandis convertendisque Bulgaris fundatum, quod a multis jam annis floret optimosque jam edidit fructus, ac conjunctum cum eo Seminarium clericorum orientalis ritus atque Orphanotrophium diversaeque tum majores tum minores missionum stationes, in civitate ipsa atque in provincia, quae a Congregatione deserviuntur ac diriguntur.

4° in America Septentrionali, est in Dominio Canadiensi Collegium

ac catholicae religionis defensionem

Sti Hieronymi, quod Berolini in dioecesi Hamiltonensi a multis jam annis floret atque in dies magis augetur, habet autem conjunctos sibi duos Rectoratus cum Ecclesiis ~~xxx~~ quatuor, ~~xxx~~ Orphanotrophio et scholis adnexis, quae omnia a Congregatione fundata sunt atque ab ea administrantur ac reguntur; – in Statibus autem Foederatis in dioecesi Ludvicopolitana est Collegium Stae Mariae ubi juvenes catholici linguae anglicae a Congregatione nostra instituuntur atque educantur; in civitate autem ac dioecesi Chicagoviensi Rectoratus Ecclesiae Sti Stanislai cum vastissima ac florentissima parochia scholis variisque operibus piis pro gente Polonorum, atque ibidem Rectoratus Ecclesiae Sti Josaphati cum parochia, scholis, orphanotrophio variisque operibus piis item pro Polonis a Congregatione nostra fundata atque administrata; denique in dioecesi Sti Antonii Rectoratus Ecclesiae Stae Hedvigis cum parochia, scholis, variisque operibus piis quae omnia a Congregatione deserviuntur ac reguntur.

Quae omnes supraenumeratae domus ac missiones redditus suos ac funda pro sustentatione sufficientia habent atque in dies magis augentur operaque sua latius extendunt.

Quod ut securius atque alacrius ad Dei gloriam Ecclesiaeque Sanctae utilitatem fieri possit, supplex Orator seipsum totamque hanc minimam Congregationem ejusque omnia opera pedibus Sanctitatis Tuae subjiciens humillime rogat ut eam ejusque Regulam ac Constitutionem Auctoritate Tua Apostolica ulterius approbare ac confirmare digneris. –